

51.16

13

DOMINICO
CAPRANICA

S. R. E. CARDINALI PRESBYTERO

PLAUDIT

ORATIO

QUAM INTER ANNUAS LAUDATIONES
IN ALMO COLLEGIO CAPRANICENSI

Aeternae ejus memoriae persolutas

HABEBAT V. KAL. APR. FERIA II. PASCH. AN. MDCCXCVI.

CAJETANUS PANICELLI E POLUSTRIO

EJUSDEM COLLEGII ALUMNUS.

AUDIENTIBUS EXCELLENTISSIMIS DOMINIS

ALMÆ URBIS CONSERVATORIBUS

ET ILLUSTRISSIMIS DOMINIS

DD. MARCHIONE CAMILLO MAXIMO, COM. ANTONIO
DE CARPINEO, EQUITE ANGELO PARACCIANO,
ET MARCHIONE OCTAVIO FRIDERICO DE BUBALIS


PRÆFATI COLLEGII GUBERNATORIBUS



ROMÆ MDCCXCVI.

EX TYPOGRAPHIA JO. BAPTISTÆ CANNETTI

SUPERIORIBUS ANNVENTIBUS.



ORATIO.



ITsi uno vehementius Virtutis optatu, quam laudis, præmiique expectatione ad res bene gerendas quisque debeat inflammari; tamen cum perillustrium memoria Virorum, qui tardæ posteritatis commodo, ac utilitati mirifice prospexere omnium ferme silentio premi quam sæpissime videatur; nequeo profecto mecum ipse subirasci, si venturos post se nepotes tamquam genus ingratum homines aspernentur; cumque nulla unquam sibi grati animi monumenta præ oculis obversari cognoscant, ad hunc posteritatis despiciatum ratione, ut ita dicam, ipsa compellantur. Egregie igitur factum est, & præclare, ut **DOMINICI** Cardinalis **CAPRANICÆ** admiranda vitæ facinora, eximia virtutum trophæa, annua

nos hac honoris recordatione, ac publica laude celebraremur. Verum quum mihi de his hoc anno verba facere pro concione contigerit; quam grande onus, quamque arduum impositum sit ita probe sentio, ut fateri non verear, me a tanta rei gravitate angi non leviter, ac deterreri. Occurrunt enim, ac animo obversantur meo admirabilis Cardinalis nostri peritia in arduis quibusque negociis expediendis, maxima ejus in Principatu tutando fortitudo, divina pene prudentia in populis in officio continendis, perenne Apostolicæ sedis patrocinium, litterarum amplificatio, optimarum artium studium, morum integritas, summa demum in quoquo laudis genere præstantia. Quæ quidem omnia, cum tot, tantaque sint, ut nullius tantum sit flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare res ejus gestas possit; hoc unum conabor, ut cum potissima tanti Viri facinora, paucis, ut debeo, & carptim vobis suspicienda proponam, Vos P. C. ea qua par est humanitate, **DOMINICI CAPRANICÆ** animum fateamini, omnia ultro laborum, atque gloriæ genera complexisse.

Si bene, præclareque gesta, ac sapienter provisae ea esse putantur, ad quæ vel ipsa temporum experientia, ætatisque maturitas aptarint; da quæso juvenem acerrimo ingenio, memoria summa, qui repu-
 diatis

diatis ætatulæ lenociniis, non intermisso studio, & exercitatione, editis præstantissimæ doctrinæ argumentis undevicesimo ætatis suæ anno doctor sit renunciatus, qui teterrimis populorum dissentionibus componendis supremo Pontificum jussu adscitus, tantum hac illac dexteritate ad omnia comparata profecerit, ut nil ab Eo magnum intentatum relinqui posse, ac feliciter non perfici prudentiores opinarentur; næ tu illum singularium gloria virtutum, ac omnigenæ scientiæ laude præstitisse facile id cuique probare, ac persuadere possis. Et re quidem ipsa tantum Romæ, Patavii, & Bononiæ erat Vir magnus in rebus consecutus, ut præsens æque ac absens quæcumque ipsi credebantur singulariter, ac mire perficeret. Flagrabat per id tempus bello Italia, ac effreno perditorum hominum ambitionis æstu jactata, cum a Pontificia ditione descivisset, ingens oculis præbebat monstrum; illuc ipse ad civium unionem mittitur Legatus, quo factum illico est, ut suavi Ejus, penitaque eloquii vi, armorumque terrore, hominum discordia profligata, Urbem in pace composuerit, ac Pontificiæ eam reddiderit ditioni.

Cognita quidem tanti animi firmitate ab Eugenio IV. dum multa quaquaversus grassarentur impune discordiarum portenta, quæ sacris, publicisque rebus exitium intentare quamprimum videban-

tur, operæ pretium fore existimavit **DOMINICO** ad maxima peragenda propemodum nato gravissimum onus demandare, Italiæ scilicet ferme totæ in perditam tranquillitatem reducendæ. Subiit ille, quamquam grave sibi, molestumque officii pondus præsentiret, & eo quem fortem virum decet alacri, religioso, & costanti animo subiit; nec eum partium, negociorumque discrimina latebant, quæ ipsi ad æqualitatem redigenda mandabantur; videbat namque gliscentium rerum turbines, fraudes, scelera, libidines, fidei, pietati, & continentiæ impere, Municipiorum squallorem, Coloniæ ærumnas, Civium sanguinem discordantium, Sancta quæque violari; honestumque omne nefaria turpitudinis nota inuri, & quod **DOMINICUM** extreme afflictabat, Religionem ipsam spretam, illusam. Ex qua rerum perturbatione, etsi vehementissime **DOMINICI** animus afflicteretur, rei tamen difficultate derereri haud potuit, quin publico bono insudaret, quæque, innumeris expositus periculis, felici prorsus, faustoque omine esset aggressus, prospere etiam ad exitum non perduceret: contemptis deliciis, commoditatibus abdicatis, non laboribus, non itineribus pepercit, ut cunctis præsto esset, eaque consulto, naviterque e manibus elabi non sineret, quæ aliquo pacto ad publicam erigendam miseriam conducere posse arbitraretur. Si
igi-

igitur Forum Livii, Imolaque, Urbes tanto maiorum pondere fatigatae in pristinum otium restituta Pontificio rursus subjiciuntur imperio; si Flaminia cuncta innumeris undique nefariorum hominum gladiis circumsepta ab interitu revocata non amplius Civium sanguine redundat; si Alphonsus Aragoniae Rex ab Ecclesia graviter laceranda desistit; si Ligurum factiosa Respublica in pace componitur; si Episcopi in Senense Concilium per fraudem collecti suas tranquilli ad sedes, bonamque ad frugem redire suadentur; si fraude fugata, expulso scelere, compressa libidine, pietas, continentia fides undique dominantur; si demum, ut caetera praeteream, quae si complecti oratione vellem, profecto dies me, non dicendi copia deficeret, si demum in pace Italia tota composita, fidei lustrum, nitorem Religioni, thronum Ecclesiae vidimus restitutum, hoc omne magni, quod Nicolao V. & Calisto III. auspiciis jam tandem est absolutum, omne, inquam, hoc magni, laboranti, & consulenti **DOMINICO** expeditum, feliciterque peractum, indubie cum caeteris absque ulla prorsus assentationis nota opinabor. O vere omnium celebritate dignissimum Virum! Quis enim illo, aut ingenio, aut prudentia, aut fortitudine, aut ullo laudis genere praestantior?

Quamquam **DOMINICUM**, non tam eximio

mio politicarum omnium, ac moralium virtutum cultu, quam religione, caritate, ac sacra scientia laudandum puto: cui porro **DOMINICI** probitas, caritas, fides, scientia non est audita? Testetur hoc Ejus frequens ad templa accessio, assidua Ejus ad Deum vota, precesque: testetur ejus sacrarum litterarum etiam dum sese cibo refecerat diutina lectio: tententur Ecclesiæ sua munificentia exornatæ, fatiscentes restitutæ, egentes subsidiatæ; hoc vobis testentur, dum Pœnitentiarii dignitate Pontificis jussu adauctus fuit cogitatio, & cura, quibus in religionis nostræ sanctitatem vindicandam, & sartam illam, tectamque servandam obstrictus censebatur; et omnia denique sacra hoc vobis testentur, quæ in Etruria, in Piceno, in Flaminia pristino excusso squallore celeriter nitore suo per **DOMINICUM** sunt restituta.

Sed quid in longinquis regionibus commoramur, cum Roma ipsa tam ample, tamque magnifice Cardinalis nostri religionis, caritatis monumenta perhibeant? Ipsi isti parietes testes sint, sapientiæque istud conturbenium, quod ad excolendam præsertim pietatem, exercendamque virtutem **DOMINICO** Duce suis inceptum sumptibus, ejusque reliquiis locupletatum, sapientissimis roboratum institutis, locupletissima illustratum Bibliotheca, & primum quidem, quod in Urbe sciamus, nullo
antea

antea exemplo, sacræ immortalitatis monumentum erectum. Quot ex hoc præclarissimi Viri prodire, qui vel Catholicæ Religionis acerrimi vindices, vel utriusque Juris Interpretes perillustres, vel præstantissimi S. R. E. Cardinales, vel Præsules, vel Episcopi, vel ad alia quæque conspicua munera evecti Cardinali DOMINICO acceptam uni retulerunt, & pietatem, & merita, & Doctrinam?

Prætereo modo P. C. Virgines, ne turpitudini, inopiæ causa exponerentur impensarum favore subventæ, adolescentes, in quibus ingenium, atque virtus fulgebat, suis sumptibus collocati: prætereo, quod ea in pauperes cupiditate flagrabat, ut sat erat DOMINICO egenorum nosse calamitates, ut illis opitularetur, inopiam exponi, ut sublevaret, affictos, ac ærumnosos ostendi, ut erigeret, & consolaretur: hæc omnia, inquam, ne vobis oratione hac mea molestus videar, prætereo. Ast nonne DOMINICUM tamquam propitium quoddam literis exortum sidus prospiciemus, quum ejus ædes non DOMINICI palatium, sed sapientiæ ipsius contubernium appellari uno ore consueverit? Adstabant enim persæpe cum egregio Viro, & Æneas Sylvius Piccolomineus, quem spectatæ virtutum omnium laudes ad Pontificatus summum evexere, & Amicus Aquilanus, & Leonardus Perusinus Theologus celeberrimus, & Blondus, & Egydius Ariminen-

nensis Episcopus, & Divus Antoninus, & quotquot dirimendis caussa controversiis erant scientiæ fama, & virtutibus noti litterati sane homines, ac singulares. Et oh res in DOMINICO sane admiranda, quæ nec præterita ætas in homine vidit, nec ventura facile imitabitur! Ex mille & quingentis, quæ DOMINICO erant librorum voluminibus de jure præsertim canonico disceptantibus, nil in ipsis tam abstrusum, tamque erat alte repostum, quod non jam Vir præstantissimus demirantibus amicis, accurate non delibasset, memoriterque ita teneret, ut prompte ab ipso implexæ omnes controversiæ de facili extricarentur.

Merito igitur Purpuratorum Patrum Senatus omnia laborum, & gloriæ genera, cui Cardinalis amplissimus cumulate vixerat, sapienter, accurateque dispiciens, eorum erat in votis Pontificio eum diademate insignire, & nisi illum insperata mors oppressisset, quanta novo accedente tantæ auctoritatis splendore, Pontificia indutus majestate, quanta DOMINICUS religioni, fidei, atque throno utilia ulterius peregisset?

Sed o miseram nostri conditionem, fragilemque fortunam! O inanes hominum cogitationes! quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspiciere valeant. Quamvis autem dum suam ipse mor-

tem

tem præsentiebat, nondum octavum, & quinquagesimum annum exegisset, eo tamen tranquillo animo ac patienti decessit, ut totus in cœlesti sui animi transmigratione insidens, ad illam beatissimam sedem securus avolaret, ubi suorum recte factorum præmium immortale, & cumulatissimum erat assequuturus. E vivis igitur subita morte præter omnium expectationem erepto, debito mœrore illorum corda premi cœperunt, & miserrima hac recordatione vestris etiam in frontibus non dubias moerentis jacturæ notas sese efferre perspicio. Sed luctum tenete Auditores. Sat enim est **DOMINICO** ad nomen suum immortalitati mandandum, sat est ex exteris nationibus innumera mala pulsasse, Pontificiæ ditioni, calamitatum fine, optatam jamdiu tranquillitatem reddidisse, terrarum dominæ, gentiumque Romæ magnum suæ felicitatis incrementum tribuisse, Relligionis denique, virtutis, fidei, pietatis jura vindicasse: hoc satis quatuor anteactis Sæculis fuit ad **DOMINICUM** Cardinalem amplissimum, Virum probum, doctum, eximiumque, literis, monumentisque dignum reputandum; hoc satis erit, ut nos usque dum anima spirabimus nostrâ tanti Cardinalis nomen, cujus pietate institui-mur, exemplis edocemur, labores, & gloriam admiramur, gratum, acceptumque habeamus. Et hoc tandem satis spero futurum, ne Vos P. C., posteaquam

quam omni laborum, & gloriæ generi satis abunde
vixisse **DOMINICUM** vidistis, eum summis esse
ornandum laudibus inficiamini. Dicebam.

F I N I S.

I M P R I M A T U R.

Si videbitur Reverendissimo Patri Ma-
gistro S. Palatii Apostolici .

F. X. Passeri Arch. Larissen. Vicesg.

I M P R I M A T U R.

Fr. Th. Vincent. Pani Ord. Præd. Sacri
Palatii Apostolici Magister .